



1675 1172
6 47
M
THESES JURIDICÆ

De

DONATIONE
IN GENERE,

Quas

Secundante ex alto Numine

Consensu Magnifici ac Nobilissimi Jctorum

Ordinis in Almâ Lencoreâ,

PRÆSIDE

VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMO AC CONSULTISSIMO

DN. JOH. CAROLO NÆVIO,

J. U. D. & Curiaë Provincialis, quæ hîc est,

Protonot.

Ad veritatis æquilibrium appendere

periclitabitur


JOHANNES WILHELMUS HAINERUS,

Winterh. Franc.

A. & R.

IN AUDITORIO JCTORUM,

Die VIII Decembr. Anno Gratiaë M DC LXXV.



WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS SIGISMUNDI Ziegenbeins.

*Nobili Amplitudine, Eminenti Dignitate, Præeximiã
autoritate, omniumq; Virtutum Genere Splendidissimis*

VIRIS

DN. JOHANNI SCHMIDIO,
Quæstori Colmberg: & in District. Leutershus.
Brandenburgico longè meritissimo.]

DN. GEORGIO DVRING,
Pastori Ecclesiæ, quæ est Winterhusæ Vigilantissi-
mo, Seniori ac Consistorii Assessori Spectatissimo, Dignissimo.

DN. JOHANNI CONRADO
BUTTNERO, J. U. Cand. ac Juniorum Illu-
strium Baronum de Hunifeld Ephoro fidelissimo.

DN. FRIDERICO JACOBO
HAINERO, S. L.

DN. JOHANNI GEORGIO
BILLING. N. C. Publ.

*Dn. è Sacro-Sancto Baptismatis fonte Susceptori Dn.
Affinibus, Dn. Parenti, ac Fratri Uterino, Dominis Favitoribus
Promotoribusq; meis summâ animi submissione prosequendis, devo-
tione suscipiendis, observantia cultu æviternum Honorandis, ἀγά-
πομα hoc Juridicum in grati animi documentum dedico, offero.*

meritò quia debui libenter quia volui

Qua AUTHOR qua RESP.



L. N. J.

THESIS

I.

Donatio ratione Originis, Juris
Gentium est.

Um intra paucas pagellas me coarctaverim, neglecto more hactenus consuetô, donationis, Homonymiam, Synonymiam, & quæ aliàs vice præliminarium communiter præmitti solent, hîc non tango, conferendo magis me propediem ad rei ipsius tractationem. Dixi autem in Thesi, quòd Donatio sit, origine Juris Gentium. Quæ Sententia, quamvis plurium consensu comprobata sit, suas nihilominus contradicentes experta est, qui pro sententiâ ab hâc diversâ satis desudarunt, quos inter & Harpr. est, in *Comment ad Instit. tit. de Donat. pr. n. 2. seqq.* rationibus dixi; quarum Prima ex Justiniani Imperatoris Methodo pêtita est, ubi verba *§. ult. Instit. de Usu & habit.* allegant, quibus Imp. à Modis acquirendi Juris Gent. ad J. Civilis modos transit. *Secundam* ex rubro tituli seq. de Usucapionibus desumunt, quem acquirendi modum civilis juris esse, huc usque DD. opinio fuit, per quem transitum ad materiam donationis faciunt, inferentes exinde donationem aut acquirendi modum Juris civilis, aut seriem titulorum planè perversam esse, sed posterius asserere Juris Studiosi non est, ergo verum erit prius. *Tertiam* suppeditare existimant particulam Et, quam sta-

A 2

tim

et in frontispicio tit. de donat. connexionem cum precedenti
tit. inferre autumant. *Quartam* petunt ex eo, quod teste Cujacio
l. 10. *Observat. c. 18.* Donationes antiquitus per mancipationes fa-
ctæ sint, quas actus legitimos esse l. 77. de R. J. testatur. Actus
autem legitimi dicuntur, qui Jure Civili introducti. Denique
Quintam volunt, quod Donatio ut nudum pactum considerata,
invalida sit eandem ergo ut pactum legitimum considerandum
censent, ut sic Juris C. esse, extra dubitationis aleam ponunt.
Quam sententiam præterea multis authoritatibus munitam asse-
runt, eas longâ serie producentes. Verùm salva Fautorum hujus
sententiâ Autoritatem aliam amplecti malui, qua Donationum in
genere originem J. Gentium ascribendam putaverim, ut quod eis-
dem determinatam formam largitum est; Namq; citra respectum
Juris Civ. Deus ipse statim post initium hujus universi, cum ulti-
mo loco, creaturarum nobilissimam, hominem produxisset, ex
merâ liberalitate omnia reliqua homini donavit, (sed fortè hoc
exemplum erit alienum, quia versatur in donationibus inter ho-
mines usitatis; Nec harum usum à Romanorum temporibus de-
mum repetere licet, sic testis hujus est Regina, quæ ex longinquo
ad audiendam Salomonis sapientiam advenerat, quam Salomoni
ante abitum pingues donationes obtulisse fatetur text. *post. Chron.*
g. v. g. Quem Gentium usum confirmat etiam exemplum Mago-
rum, qui Christum natum egregiis donis honorârunt. Quod
quamvis in Romanorum tempora incidat, hos tamen non Ro-
manos, sed ex Orientalium Gentium numero fuisse, sacra pagina
docet. Plura addere possem ex profanis, sed sufficiat hæc pro ra-
tione temporis adduxisse. Videndum mihi nunc quæ Doctorum
sit de hæc re opinio, Dominus Vinnius *Comment. ad Inst. Imp. l. 2.*
s. de Donat. ad rubrum n. 1. ita de hæc materiâ differit: *Nemo o-*
pinor tam excors est, qui juri civili adscribendam putet sc. Dona-
tionem. Rationes ejus sunt: *Primò*, quod nihil habeat à Jure
Civili, quod (extra respectum eius considerata) ad formam ejus &
perfectionem pertineat. *Secundò*, quod fundamentum Dona-
tionis in beneficiis situm, ad quæ naturâ propensi sumus. *Tertiò*,
quod ipse Imperator eam in *S. 41. J. de R. D.* ad Jus Gent: refe-
rat,

rat, & quæ alia sunt, quæ pro stabiliendo asserto adducit. Quibus & ego hoc addo, quòd naturæ sociali nihil magis, quàm mutua amicitia, quæ mirum in modum per donationes augetur, congruere videatur. Nec putarem rationes contra sententiam tanti ponderis esse, quòd iis satisfieri non possit. Ad primam enim rationem respondeo, quòd Imperator Justinianus in Tit. de Donationibus respexit ad duas species, quas jus civile quasi invenit, Donationem mortis causâ & Donationem propter Nuptias. Nam cum jure Gentium unica saltem species usu obtineret, Donatio scilicet simplex, jus civile hanc non saltem approbavit, sed præterea etiam alias superaddidit, vid. seqq. Thes. quarum duas eminentiores in dict. tit. recenset, ad quas procul dubio respexit, quòd inde colligo, quia à Donatione mortis causâ initium facit. *vid. §. 1.* Ex quibus & secundo atque tertio arg. satisfieri posse arbitror. Quartam quod attinet, sita est illa in antiquo Mancipationis ritu, quem tanquam modum, rei essentiam non ingredi satis constat, sicuti nec ex aliis additamentis quicquam colligitur. Denique, si nudo pacto constituatur, non nego de jure civili actionem vel effectum producere non posse; Verùm hoc ipso confirmatur, nudo pacto eam constitui posse, quòd in respectu Juris Gent: æquè validum est ac stipulatio jure civili vel pactum vestitum.

Thes. II.

Approbavit jus Civile Donationem vel eidem aliquid addendo vel restringendo illam.

Quomodo Jus Civile speciem Donationis, quæ jure Gentium frequentabatur, approbavit præcedenti Thesi dictum: Restat idem ut hoc ipsum ulterius deducam. Si quidem hoc ipsum Jus civile non acquievit, tot Digestorum & Codicis tituli ostendunt. Hinc videmus tam varios Donationum modos & species determinatas, quarum *prima* Donatio Mortis causâ, cujus essen-

etiam exhibet §. 1. *f. h. t.* *Secunda* Donatio propter Nuptias, alias Sponsalitia largitas dicta *vid. Dn: Harpr. ad §. 2. f. de f. N. G. & C. alioq;*, cujus sedes §. 3. *f. de Donat.* *Tertia* Donatio Remuneratoria, quâ acceptum beneficium retribuitur, cujus intuitu ab aliis donationibus recedit, & quomodo impropria efficitur, arg. l. 27. *π. h. t.* *Quarta* Donatio sub modo, quæ illa dicitur, quâ Donatarius expressè obligatur ad aliquid dandum vel faciendum, de hâc vide sis l. 1. *C. de Donat. qua sub modo & c.* quæ si sub conditione alimentorum præstandorum facta est, hoc privilegii habet, quod Donatori in casu non præstitæ promissionis, rei vindicatio utilis concedatur *d. l. 1. quâ de re Thes. ult. pluribus.* *Quinta* Donatio sub conditione qualis est quæ conditione adjectâ demum existente effectum sortitur. *argum. l. 4. C. de Don. qua sub modo & condit.* *Sexta* Donatio ad tempus quam exhibet l. 2. *C. d. l. de Don. qua sub modo.* Quas omnes atque singulas expendere speciatim instituti mei ratio non fert. Reliqua quæ additamenti vices sustinent ex parte in sequentibus videre licet, pergo nunc & dico Donationem jure Civili restringi. Et id multis modis accidit, sufficiat tamen mihi unico exemplo hîc ostendere, reliquum quod est, dabunt Thes. seqq. nempe afferam saltem hîc restrictionem circa quantitatem, quæ in Donatione transferenda observatur. Hæc jure G. procul dubio indefinita est, & in infinitum procedit, quo usque scilicet quid est in donantis potestate atque arbitrio, quod nullibi unquam restrictum legimus *arg. l. 34. v. Communem formam C. h. t.* Secus verò res se habet de jure Civili, ubi jam à multis temporibus hæc libera potestas est limitata. Ex antiquioribus ll. prostat Lex Cincia, cujus Imperator Justin. *Nov. 162. c. 1.* meminit, quâ ne ultra certam quantitatem donatio fieret, prohibetur, quousque autem illa quantitas hâc lege restricta fuerit, incertum est. Authore Ulpiano t. i. ita differente: *Imperfecta lex est veluti Cincia, quæ supra certum modum donari prohibet exceptis quibusdam cognatis, & si plus donatum sit non rescindit.* Quam quantitatem ducentorum Solidorum fuisse Interpretes ex §. 2. *J. de Donat.* & l. 3. *h. t. in C. Theodos. colligunt.* teste Vinnio ad d. S. 2. verb. *Insinuari actis intervenientibus.* Verùm hanc postea Imperator Justin. primo ad Trecentos l. 34. *C. h. t.*

h. t. & denique dict. §. 2. & l. pen. §. ult. C. h. t. ad quingentos solidos ampliavit, quos si excedat, regulariter actis intervenientibus perfici debet, alias quoad Excessum erit nullius momenti, vid. d. l. Sancimus 34. verb. *hoc quod superfluum &c.* & N. 162. c. 1. §. ult. verb. *usq. ad tantum duntaxat &c.* item Dn. Carpz. p. 2. C. 12. d. 12. n. ult. in *prejud. ultim.* Qui autem sint illi solidi & quousque illa quantitas quingentorum solidorum, se juxta monetam hodiernam extendat, non videtur inter interpretes expeditum. Covarruvias à Layva in Collatione vet. Numism. C. 3. adeò hæc de re prolixus, subtilis dixisset fere obscurus est, ut mihi singula perspicendi copia data non fuerit. Dn. Vinnius ad §. 2. h. t. putat, hanc summam 2500. Caroleos efficere. Dn. Hahn. solidos aureos Rhenanos dicit. Dn. Carpzov. dicto loco quantitatem hanc loci consuetudine determinandam esse arbitratur, cum quo videtur facere Gail. l. 2. observ. 39. n. 3. ubi aureum vel solidum, qui huic sint æquivalentes, dicit pro loci consuetudine diversum quod n. 4. *ib.* exemplis demonstrat, & hanc summam Coloniae 1200. aureis constare, & Aquisgrani duo millia aureorum excedere affert. Ex quibus patet certam determinationem quantitatis juris Civilis non exstare. Hinc putarem ego rectius me facturum, si illud de jure civili indecisum relinquam, quia omnis decisio hic periculosa, & non nisi conjecturis constare possit *arg. eorum que Covar. d. l. §. 2. n. 5. habet*, & dicam cum Dn. Carpz. hanc causam juxta loci consuetudinem quæ in Saxoniâ per *Constitutio: Elector. 14. §. So aber 1. p. 2. 500.* Ducatorum vel Solidorum Ungaricorum est, determinandam esse. Rationes cur hæc restrictio Legibus introducta, item variæ sunt. Dn. Carpzov. d. l. def. 13. n. 1. allegat (1.) in genere utilitatem publ. (2.) ut fraus removeatur & (3.) ut falsis probationibus occurratur. Dn. Hahn. par. 2. pag. mihi 612. ad verb. *Wesenb. Nam ne prodigaliter h. t. ex mente Interpretum*, quatuor affert (1.) *ut inter Donationem & insinuationem possit deliberare donans, an sibi expediat donationem perficere nec ne.* (2.) *quod iteratio actus ut que fit per insinuationem, declaret per severantiam mentis testatoris,* (3.) *ut tollatur omnis suspicio,* & (4.) *ut occurratur falsis probationibus.* Ipse verò ex rationibus Ethicis atque Politicis aliam suppeditat, dicens: *Donationem esse Actum libera.*

*liberalitatis indifferentem qui ex vitio & virtute pro variis differen-
tiis circumstantiarum proficisci possit, unde curare debeat Magistratus, ne quis prodigaliter liberalitatem exerceat. Quæ ratio cum
Carpzovii Generali, utilitate nempe publ. coincidit, quæ autem
specialis ejus causa vel occasio restringendi fuerit, non aperte con-
stant. Videtur Lex Cincia prima, cujus extat memoria, quæ donan-
tium liberalitatem in ordinem redegit, cujus apud Ulpianum extat
mentio, eam libera Repub. durante latam arbitror, sicut Authorem
ejus Cincium dicit Corvinus *Lexico*. De Cincio autem quodam,
Senatore Romano affert Macrobius l. 13. c. 13. eum Senatorem Roma-
num & sui temporis strenuum Morum censorem, præsertim pro-
digalitatis fuisse inde fieri potuit, quod hic Senatui auctor, ad le-
gem de prodigalitate Donationum condendam extiterit, Sena-
tusq; ei morem gesserit, præsertim cum hæc ipsa Lege æqualita-
tem, quæ liberarum rerum publ. optimum fulcrum est, inter cives
conservari posse existimaret. Cæterum regula hujus restrictionis
ad quingentos usque solidos, limitationes suas quoque admittit;
addam demonstrationis ergo pauca exempla. Limitatur (1) l. 34.
pr. C. h. t. ubi excipiuntur donationes à Principibus factæ. Indi-
gnum enim videbatur Principem hæc lege positivâ, qua superior
est, astringi. *vid. d. l. (2) si à privatis in Imperatorem factæ N. 52. c.
2. ubi ratio in medio allegatur. (3) Lege penult. pr. ratione donatio-
num ad redemptionem captivorum, & §. 1. donationum Magistri
Militem in Milites. & §. 2. si ad reficiendas combustas ædes dona-
tum sit, quæ donationes omnes in specialem favorem citra insinua-
tionem ratae habentur (4.) Donationes propter Nuptias excipiun-
tur. N. 119. c. 1. (quod ex parte Virorum correctum legimus N. 127.
c. 2.) Ratio videtur esse in hoc, quod cum Dote debeat esse æ-
qualis ratione *quantitatis* l. 9. C. de pact. *Convent. & Authentica
seq. Æqualitas*. ideoque ad certam quantitatem restringi non
poterat. Donationem verò ad pias causas insinuatione opus ha-
bere, communis DD. sententia est l. pen. C. b. t. l. 35. §. f. *circa finem
cod. & l. 19. de SS. Ecclesiis*.**

Theſis

Thesis III.

Donare possunt omnes qui non prohibentur.

Restricta porrò etiam est potestas donandi ratione personarum, quippe jure Gentium donare posse eum qui Dominus rei est nullus dubito, juxta regulam generalem *l. 21. C. Mandati* ubi dicitur quod quivis rerum suarum sit moderator & arbiter. Quod arbitrium tamen Legibus civilibus est limitatum, dum jus civile à Jure Gentium in accommodatione ad utilitatem reipub recedit, cum perpenderet hanc laxitatem reipubl. non per omnia expedire, idq; quosdam ex numero Donantium exemptos esse voluit, quia Reip. intererat, ne quis re suâ malè uteretur *§. 2. §. de his qui sunt sui vel alieni jur.* Quoties igitur prohibitio non est, toties liberè donare quis poterit *arg. l. 12. pr. π. de judic. l. 43 §. 1 de Procuratorib.* Quot modis autem quis dicatur prohibitus, sequentia demonstrant.

Thesis IV.

Prohibentur autem potissimum, ætate, Lege & Casu.

Ratione ætatis prohibentur vel ipsâ naturâ, ut infans, qui non præsumitur scire quid agit *§. 9. §. de inutilib. stipul.* Donatio autem actûs est, ubi quis ex destinatione animi agit dum rem suam in alium transferre desiderat. Deinde senex decrepitæ ætatis, quem Senectus ad infantiam redegit, quique quid agatur non amplius percipit, cui tutor dandus, *arg. l. sed & aliis 2. π. de curat. furios & aliis dand.* utique donare posse non præsumitur, non verò ille cui ætas honorem atque reverentiam conciliat, qui vegeti Judicii, hic enim testamentum rectè facit *l. 3. C. qui testam fac. poss. verb. Sinceritatem mentis* neque à donationum liberalitate excludi poterit *l. 16. C. h. t. verb. Senectus*, sola vel lege ætatem respiciente, ita prohibetur Impubes, vel pupillus, *arg. l. 11. π. de A. R. D. l. 19. §. 1.*

B

de

de jur: Jur. Hic quidem alium sibi obligat etiam sine tutoris au-
thoritate *pr. 7. de author. Tut.* ubi non saltem contractus uni latera-
lis stipulatio, sed etiam bilateralis emtio & venditio cum pupillo
contrahentem obligare dicitur, pupillus verò ne hoc quidem obli-
gatur. *vid. l. 28. π. de pact.* Volunt tamen casum esse, ubi pupillus
donare possit Tutoris autoritate, nempe in casu *l. 13. §. 2. de admi-
nistr. & peric. tut.* quamvis ego putarem, præstationem alimentorum
quoad matrem nomine donationis non venire, utpote quæ filius
si ipse rebus suis præesset matri ex debito naturali denegare non
posset. *vide Magnif. Dn. Ziegl. in Comm. ad Hug. Gros. de j. B. &
P. l. 2. c. 7. n. 5.* Secus autem res se habet in iis, ubi mera donatio,
hæc enim, quamvis matri facta ibi non probatur. *Verb. Nec nuptia-
le munus &c. Nec dicit in fine, eadem causa est, quod in eam rem im-
penditur & quod muneris legatorumve nomine erogatur.* Rationem
hujus textus ulterius exhibet *lex. 1. §. 4. & 5. τ. de Tut. &
rat. dist.* ubi in specie donatio non saltem Mortis causa, sed etiam
inter vivos pupillo indicitur, & quasi exceptionis loco propter
conjunctionem matris & sororis alimenta quorum aliàs favor in
jure civili maximus est, ponuntur. Porro lege minorem propter æ-
tatem præsertim res immobiles donare non posse, testis est *l. 3. cum
autem C. si major factus alienat: factum sine decret. &c.* Ubi textus
requirit, quod si facta sit, eam non nisi post Majorennitatem inter
præsentes decem, inter absentes viginti annorum silentio confir-
mari videatur. Exceptio est, nisi donationem juramento confir-
maverit. *Authent. Sacramenta puberum C. si advers. vendit.* quam
allegat Gail. observ. pract. part. 2. ob. 41. n. 4. Lege extra respectum
ætatis prohibentur (1.) Servus. Servorum enim jure civili vilissi-
mam conditionem esse, testantur tituli institutionum de jure per-
sonarum, de his, qui sunt sui vel alieni juris & *τ. de statu ho-
minum*, cum quibusdam aliis passim, ita ut cum servus quo-
ad corpus ipse in Dominio sit, & Domino omnia acquirat. *§.
3. per quas personas nobis acquir.* non habeat unde donare possit,
sicq; res de hoc non dubium sit. (2.) Filius familiæ, cujus conditio
jure Romanorum antiquo, ubi jus vitæ ac necis compete-
bat, non longè recedebat à conditione servi. Qui rigor quoad acquisitio-
nem

nem ad sequentia usque tempora quoque duravit, exceptis saltem quibusdam peculiis: Cum itaque filius acquirens extra peculium patri acquirat, & sic nihil habeat proprii omnino donare non potest. *vid. §. 1. §. per quas personas nob. acquir.* Exceptio (1.) est in peculio castrensi & quasi castrensi, quorum intuitu, pro patrefamilias habetur, item adventitio, in quo & usumfructum & proprietatem habet. N. 117. c. 1, Non verò in Adventitio ordinario, ubi patri ususfructus acquiritur, multò minùs profectitio, quod quoad proprietatem & usumfructum ad patrem pertinet §. 1. §. per quas: *per personas nob. acq.* (2) Si hoc nominatim eidem concessum l. 7. §. 2. & 3. h. t. (3) nisi filius esset Senatoriæ dignitatis §. 3. *ibid.* (4) si habuerit justam donandi causam *vid. Magnif. Dn. Brunnem. ad d. l. 7. (III)* Prodigus, qui modum expensarum alias nescit; & ideò eidem à Magistratu bonis ex reipubl. utilitate interdictum sine quo etiam prodigus dicendus non est. Dn Ludvv. in Comment. ad R. J. ad l. 40. *vid. legem 6 de V. O. & l. 12. §. 2. de tut. & Curat. dat. § 3. § quibus non est permissum fac. testam.* IV. Tutores ex bonis pupilli, quamvis enim aliquando dicantur Domini, est tamen hoc ipsum improprie & secundum administrationem intelligendum. l. 27. *π. administra: & peric. tut. vid. l. 22. junct. l. 47. & §. 3. d. l. V.* Criminis Capitalis reus post sententiam capitalem latam, Jure sc. Veteri *Authen. bona Damnatorum* C. de bon. proscrip. & damn. ante sententiam enim rectè donant *arg. l. 46. §. 6. π. de jure fip.* Quam sententiam Dn. Brun. *ad l. 15. w. b. l. limit:* (1) Nisi in fraudem fisci donatio concepta sit. (2) aut Dominium rerum propter crimen in ipsum fiscum transferit (3) §. ob criminis qualitatem administratio bonorum sit interdicta, sed exempla non addit. VI. Denique prohibentur donari Hæretici. l. *nulli. 3. in fin. C. ne banit. baptis. reier. Apostata l. 4. pr. C. de Apostat.* videntur enim commisisse crimen adversus infinitam Majestatem Divinam, quod multò magis quàm crimen læsæ Majestatis humanæ pœnis affici debet. Casu donare non possunt 1. furiosi. Hos enim furor ab omni consensu & voluntate excludit l. 40. de R. J. l. 14. de off. præf. l. 22. solut. matrim. Unde lex XII. Tabb. eosdem & in Agnatorum tutelâ esse voluit. Tab. 5. *quatenus per Godofr. exant in fin.* Nec potest facere testamentum §. 1. Inst. quibus non est

permitt. facere testament. Nec hæreditatem adire *l. 63. de acquir. vcl amitt. hered.* Denique excusatur à delicto, falsi infelicitate. *l. 12. π. ad L. Corn. de Sicar.* Constituunt autem jura duo furiosorum genera. Quidam enim in perpetuo furore deprehenduntur *l. 14. ff. de offic. præsid.* de quibus præcedentia intellecta volumus; Quidam sua habent dilucida intervalla *d. §. i. quib. non est perm. fac. testam.* Hi namque tempore intervalli testamenta faciunt *d. §. aliosque contractus celebrant l. 7. C. de Contrab. Emt.* Ergo & donare possunt. Ratione ejus qui in furore constitutus donat, exceptionem esse volunt, si sanæ mentis factus Donationem ratam habuerit *arg. l. 48. de R. 7. II.* Ad hos proximè accedunt mente capti. Differunt enim instar se invicem in hoc, quod furiosi actus sunt externi, Mente captus verò tranquillâ quadam mentis alienatione laboret. *arg. l. 28. C. de Episcop. audient. l. 25. C. de nupt.* Cum itaque mentis intellectu sint privati, meritò cum furiosis unum idemque, jus habere dicuntur & à negotiorum administratione removentur. Donare hinc eos non posse expressè testatur text. *l. 23. §. 1. w. h. t.* III. Denique huc referendi Ebriosi, apud quos cerevisia vel vinum idem operatur, ac apud furiosos dementia, cum nec hi, quid agant, intelligere credantur *arg. c. 14. X. de vit. & honest. Clericor. ubi Ebrietas dicitur mentis inducere Exilium.* Et sic ne quidem ex promisso obligari possit, quam sententiam Dn. Struv. *Exerc. d. thes. 7. in fine præjudicio facult. Jur. Jehaens. probat* cujus verba: *Da ihr damals mit einem Trunc beladen gewesen/ und nicht gewust was ihr gethan/ so send ihr denenselben/was zu der Zeit &c. versprochen worden/nachzuleben nicht schuldig v. s. w.*

Theſis V.

Res Donanda debet in Commercio Hominum esse.

Ratio hujus asserti est in proptatulo, Donatio enim ipsa species est commerciorum hominum quæ circa rem commercio exemptam versari

versari nequit. Quæ autem res sint in commercio quæ extra illud, quæ divisionis rerum & singulis speciatim hic tradere instituti mei ratio non fert, si quidem de his totus institutionem atq; Pandectarum titulus de Rerum divisione prostat. Adducam igitur saltem quædam exempla, quibus manifestum fiat non omnes res in commercio esse. Tales sunt res omnes divini Juris, Sacræ Sanctæ & religiosæ *l. 83. §. 5. D. U. O. l. 14. C. de SS. Eccles.* quæ etiam nullius dicuntur. *§. 7. 7. D. R. D.* Circa quæ cum hominum contractus non frequententur, etiam donari non possunt. His accedunt res alienari prohibitæ ut Litigiosæ *l. 2. C. de litig.* Fundus Dotalis *l. unica §. 15. C. de rei Uxor. action.* exceptio est in *1. 10. §. 4. w. de jur. dot.* Res legata *l. ult. §. 2. C. Commun. de legat.* Res à testatore in specie alienari prohibita *l. 77. §. 27. w. de legat. 2. l. ult. C. de rebus* Vid. Dn. Struv. v. 9. non alien: &c. Res aliena num donari possit ostendit. *l. 14. C. h. i. junct. l. 54. de R. J.* An Donatio Universorum Bonorum valeat? res expedita inter Jctos non videtur. Argumenta pro asserenda hac quæstione non levia petuntur *ex l. 35. §. 4. verb. vel etiam totius.* Ubi Imp. præterea addit donationem validam esse modo nihil in officiosi in se contineat. *Et §. seq. 5. vel totam Substantiam tradere C. h. i.* Item *ex l. 17. §. 1. ff. quæ in fraud. Cred.* ubi dicitur quis liberto tradidisse omnia bona, vel ut cum textu loquar omnes res & optime illud probat *lex. 8. C. de revoc. Donat. & l. 5. de in off. Donat.* Neq; hoc solum de rebus præsentibus accipiendum sed etiam futuris modo donatos præsentis & futuras dixerit *arg. l. 7. de aur. & arg. leg. futuras enim etiam donare posse sub conditione si futuræ sint; argumento sunt; l. 3. l. 35. §. 1. C. h. i.* consentiunt mecum Doctores Dn. Struv. h. l. §. 9. Dominum Zoës. *ad b. l. n. 28.* Dn. Hahn. *ad b. l. n. 5.* qui tamen nomine ab hac donatione vult excepta, (quam & fovet sententiam Gail. *l. 2. obs. 11 n. 10.*) sed quia fundamentum ejus non probat, vix videtur asseritum ipsum probare; *vid. præc. n. 9. n. 10 in med.* Cujus sententiam juvat *l. 15. w. de R. J.* Hæc circa hanc rem in medium prolata in allegatis textibus ita se habeant, sed longè aliter sentiunt Viri Gravissimi Domin. Brunem. *ad L. 27. π. h. i. n. 9.* qui ita ea dicit: *Hanc legem notabiliter etiam limitant, si quis omnia bona præsentia & futura donet; Nam hæc donatio inter vivos facta non Valet ex Doctorum re-*

cepta sententia, à quâ (quicquid in Scholis disputetur) in foro recedendum non est. Neq; hic suis acquiescit, sed præterea ad Authoritatem Dn. Carpzov. Jcti celeberrimi jure pratico versatissimi provocat. Cujus verba p. 2. C. 12. D. 26. n. 1. § 2. hæc sunt Bonorum omnium presentium & futurorum donatio idcirco non valet, cum adimat liberam testandi facultatem. Licet namq; Hereditas sit nomen juris, nihilq; prohibeat eum quoq; testatori, qui nihil in bonis l. 3 ff. ad L. falc. attamen qui nec habet nec habere quicquam potest, qualis ille est, qui futura quoq; Donavit, ei sanè facultas testandi nequit competere & c. vid. cit. loc. quod postea numero 10 usq; ad finem ulterius confirmat. Verùm hæc & similia me non movent, utpote qui in terminis juris civilis hæctenus versatus sum, intra quos etiam adhuc persistendum judico cum uterq; horum Jctorum hæc ratione à me alienus non sit, ille in verbis: quicquid in Scholis disputatur; Hic numero 4. 5. & c. usq; ad 8. inclusive expressis verbis. Nisi quod contrarium usu fori receptum asserat, quod eidem facile largior, & sic Donatio universorum bonorum presentium & futurorum non eatenus erit injusta, quatenus legibus interdicta, sed quatenus consuetudo contrarium in duxit & sic, quod antea licitum sicut in rebus indifferentibus frequenter accidit, illicitum fecit. Neq; ratio à facultate testandi petita jure Civili aliquid operatur. Illa enim jure Civili in favorem privatorum introducta est, cui juxta regulam juris facile renunciamus, imo omnis donans universa bona, hoc ipso quo donat huic libertati renunciasse creditur, ita quoq; nullâ lege dispositum reperitur, quod quis præcisè testamentum facere deceat, sed cujusvis arbitrio hoc ipsum relictum est, quod materia de successione Legitimis & ab intestato abunde testatur.

Thesis VI.

Donator præcisè tenetur ad rem tradendam, sicut Venditor, nec præstando interesse liberatur, verum iste ad Evictionem non obstringitur.

Donat.

Donationem etiam per pactum factum jure Civili propter as-
 sentiam obligationem efficacem inducere, jam supra monui.
 Cujus efficaciam presenti Thesi eò usq; extendo, quod Donator ob-
 strictus sit hâc ipsâ ad ipsum corpus in specie, de quo pactum initum
 erat, tradendum, ex quo ipso jure fluit, eum præstando id quod in-
 ter est, se liberare non posse. Textus in hanc rem expressus est, in
 sæpe citato §. 2. *f. h. t. de don.* Quod dicit, *Ad Exemplum vendi-*
tionis suam Constitutionem eas etiam (sc. donationes) in se habere ne-
cessitatem traditionis Voluisse, ut etiam non tradantur, habeant ple-
nisimum & perfectissimum robur, & traditionis necessitas incumbat
Donatori. Quibus eleganter Respondet textus in N. 162. c. Vendi-
 torem autem præcise ad tradendum rem venditam obligatum esse,
 ostendunt *tex. in l. 11. §. 2. l. 46. l. 50. w. de Action. Emt.* quibus accedit
 ratio & §. 3. *f. de Emt. & l. 8. ff. de pericul. & commod. rei Vend.* ubi di-
 citur, quod Emtione perfectâ, periculum ad Emtorem pertineat.
 Iniquissimum namq; esset rei periculum sustinere illamq; non acci-
 pere, vid. Hâc de relatè Differentem Dn. Brunnem. *ad d. l. 8. de per. &*
commod. rei Vend. Item *ad d. l. 11. §. de Act. Emt.* quamvis Alciat. *ad*
L. unicam C. de Scnt. que pro eo quod Inter est profer. contrarium asse-
 rere Conatus sit, quam sententiam Covarr. *l. 2. Var. Resolut. c. 19. n. 1.* in
 puncto juris defendi posse arbitratur, quem suo judicio abundare
 patior. Ast opinioni, quam Ego amplexus sum graviter obstat *l. 35.*
pr. C. h. t. Ubi donans pondus argenti, ipsum quidem pondus vel in
 vasis argentum dare jubetur, interim tamen simul ei conceditur,
 facultas in ipsâ æstimatione in illis locis frequentata, donatum præ-
 standi, Ergo non ipsum corpus præstatur, quæ res omni difficultate
 non destituitur. Verum respondeo ad hunc textum (1.) eum agere
 de casu ubi certum corpus Donatum non est, sed pondus, quod etiam
 in vasis, sicut textus innuit, & pecunia argentea, quæ promissum
 pondus absolvit, præstari poterit. Vel (2.) dicendum donantem
 certum pondus, v.g. Centenarium argenti, promisisse, qui tamen
 massam hanc rudem in bonis non habebat ergo necesse erat, ne do-
 natio esset nulla, donatum in aliâ re æquivalente præstare (3.) pecu-
 nia hoc loco ratione qualitatis & formæ externæ, quatenus certa
 corpora constituit, consideratur, sed secundum intrinsecam bonita-
 tem,

met, & sic potius argentum, quam ipsa pecunia præstetur,
argum. d. 11. junct. §. seq. 1. Similiter ex hoc inferunt, quod sicut
Dominium rei ex ipsâ conventionem quasi vel perfecta Emptione ante
traditionem transfertur ita quoque, donatione perfecta res Donata
ad Donatarii Dominium pertineat, quam sententiam fovet Joach.
Stephan. *ad N. 162. c. 1. n. 2.* Quam sententiam tanquam utramque
erroneam notat Covaru. *Var. result lib. 2. c. 19. statim in princ.* ubi se
fundat in regulâ generali, quod Dominia rerum regulariter sine
traditione non transferantur. *Sapè cit §. 41 f. de R. D. l. tradit. 20. C.*
de pact. l. nunquam 30. d. A. R. D. Hoc ulterius *l. pen. C. de Rei Vind. l.*
alien. 67. w. de V. S. luculenter ostendit. Putarem igitur Comparationem
inter Donationem & Venditionem *in d. §. 2. à d. à Sacrat. Im-*
peratore factam, non esse ut loquuntur ultra suum tertium porri-
gendam. Videmus enim quædam in Venditione vi contractus o-
nerosi obtinere, quæ in donatione propter deficientem eandem ra-
tionem cessant. Exemplo esto quod Venditor ad trahendum obli-
getur in solidum. Donatos verò saltem in id quod facere potest.
In quam expressi textus prostant. *l. 33. pr. w. de jur. dot.* ubi dicitur
quod, quamquam dotis favor in jure civili non levis sit, donans do-
tem in id saltem convenire possit quod facere potest. *Item l. 19.*
§. 1. de re jud. l. 49. t. eod. qua Paulus Justinus disquirat de exheredato,
utrum ad patris defuncti factum præstandum obligetur in solidum
& simul quosdam, quibus beneficium competentis quod vocant
de jure competat, recenset, quæstionem movens num ille exherede-
datus eodem jure cum Donatore, an verò cum Patrono vel Viro,
uti debeat? & respondet de priori quod non, addens rationem
hanc; *pinguius enim Donatori succurrere debemus, quam ei verum*
debitum persolvere compellitur. Et mox in *l. 50.* sequitur Rationis ra-
tio: *Nec liberalitate suâ inops fieri periclitetur.* Quod præterea lex
12. h. t. disertè comprobatur. Ita dissimile quoque intercedit inter
Emptionem & Donationem, quod in illa præstanda sit Evictio, in
hac verò minimè. *l. 13. §. fin. h. t.* quæ tamen res non eodem modo
apud Interpretes decisa legitur, imò planè videtur assertum hoc
frustraneum, cum suprâ dictum sit alienam rem donari non posse,
ergo non opus erit de evictione disquirere, cum res à Donatore, si
propria

propria ejus sit, neque ab illo neq; ab alio evinci possit, cum hic se Dominum demonstrare debeat, quod facere nequit, si fecerit Donator, Dominus non fuit. Celebris olim in hac Academia JCrus Dn. Suevus in Disputatione quâdam de Evictionibus Thes. 6. arbitratur in Donatione simplici, de qua mihi primario hic sermo est, nullam Evictionem præstandam esse, allegans *l. 2. C. de Evict. & d. l. 18. π. b. r.* hisque præterea rationes adjungit: *Quòd si enim Donator re Evicta Evictionem præstare teneretur, certè damno afficeretur, quod tamen concedendum non est, quia secundum vulgatam juris regulam, nemini liberalitas sua debet esse damnosa l. 3. τ. pro donat. Et nemini alteri cum suo damno benefacere cogitur l. 1. §. 11. τ. de aq & aq pluo arc. Dn. Hahn. ad b. t. p. 615. ad verb. Wesenb. non teneri de evictione refert, Dd. Communiter distinguere, an à traditione, an verò pacto vel stipulatione præcedente Donatio facta sit, quam sententiam præalleg. Dn. Suevus. Dn. Carpzovii p. 2. C. 34. d. 23. esse citato loco affirmat, verum uterq; confidenter, eam citra juris fundamentum introductam esse asserit in quorum sententiam, salvâ Dn. Carpzov. autoritate transeo. Interim Dn. Suevus limitat hanc regulam duplici modo (1) nisi Donator dolosè rem alienam donaverit. *l. 18. §. fin. h. t.* (2) ubi Donatarius de Evictione, stipulatione sibi cavit. *l. 2. C. de Evict.* quam cautionem nudo pacto perfici non posse testis est lex dicta 2. in fin.*

Thesis VII.

Ex parte Donatarii ut acceptatio interveniat necesse est.

Ratio hujus Thes. dubitandi videtur sita in eo, quòd donatio potissimum spectetur ex parte Donantis ex cujus merâ liberalitate proficiscitur, nec facilè quis donatum refutare soleat. Ratio decidendi est, quòd in invitum beneficium non conferatur, neq; per Donationem Dominium acquiratur, nisi à Donatario id quod donatum, acceptatum fuerit. Prostant hanc in rem expressa testimonia in *l. 55 de O. & A.* ubi dicitur, quòd in omni re, ubi de Dominio transferendo agitur, utriusq; consensus concurrere debeat, & inter exempla ibidem relata Donatio expressè ponitur *item l. 19. §. 2. l. 10. h. t.* qui posterior textus hoc ipsum eò usq; extendit, quamvis res donata penes Donatarium sit, illamq; detineat, Dominus tamen nisi acceperit ut sibi missam

C

dici

dici non possit, quam sententiam Dn. Brunnem. ad d. l. 10. variis Au-
thoribus Doctorum comprobata reddit, quo facit & textus in l. 26,
C. h. t. ubi id, quod infanti, qui facti nescius, & sic acceptare non potest,
donatum est, non validum dicitur, antequam interveniat, à servo qui,
ad hoc aptus est, acceptatio. Hinc putat Zoësius ante factam accepta-
tionem donantem pro arbitrio revocari posse tam de jure Civili quam
Canon. vid. Comm. ejus ad h. t. n. 37. & 38. Exceptionem ab hâc regulâ
volunt esse in l. 15. C. de SS. Ecclesiâ. Si res Ecclesiæ vel ad pias causas
donata sit, cujus rationem Dn. Brunnem. dict. loc. hanc reddit. *Quia
istiusmodi donationes Deo fiunt, & Majestas divina his donationibus
Clementissimè annuere presumitur, rectius dicitur valere hanc Donat.
sive acceptationem.* An hæc acceptatio etiam per Notarium nomine
absentis & quatenus fieri possit, disserit Zoësius ad h. t. n. 67.

Thesis IIX.

Dantur plures revocandi causæ, quam quæ lege
ultimâ C. de revocandis Donationibus re-
censentur.

HActenus circa Constitutionem versatus sum, restat nunc ut et-
iam de revocandis vel rescindendis Donationibus dicam. Respe-
ctu enim revocationum itidem peculiare quid de jure Civili consti-
tutum arbitror, quòd sc. has propter ingratitude aliasq; justas cau-
sas revocare liceat, de quâ materia totus prostat titulus C. de revo-
candis Donationibus. Revocatur autem donatio vel ab ipso fonte, vel
ejus liberis, idq; vel in universum, vel saltem ex parte, & inde fortè non
incommodè Revocatio Donationis in universalem & particularem
dividitur. arg. d. l. C. de Revoc. don. & tit. de inoffic. donat. in illo de uni-
versali in hoc de particulari agitur. De causis ad revocationem uni-
versalem sufficientibus hic agam, particularem verò sequenti thesi at-
tingam. Ubi in antecessum notari meretur illum solum revocare posse
donationem universalem qui fecit, non verò ejus hæredis. Textus
perspicuus est in l. 1. C. de revoc. in verb. hoc tamen quæ in utrâq; le-
ge habentur. Cujus asserti elegans ratio in l. 1. hæc affertur: *Neque
enim fas ullo modo inquietari donationes, quas is, qui donaverat, in diem
vitæ suæ non retractavit, Et rationis hujus ratio in l. ult. perspicuè expo-
nitur*

nitur hoc modo: Etenim si ipse qui hoc passus est, tacuerit; silentium ejus
 maneat semper: & non à posterioritate ejus suscitari concedatur, vel ad-
 versus eum qui ingratus dicitur vel adversus ejus successores. Quali
 Imperator dicturus esset: Sicut injuriarum actio non datur hæredi,
 neque in hæredem §. 1. f. de perp. & temp. action. ita nec hæc quæ su-
 um fundamentum in injuria ponit, arg. d. l. ult. pr. Hæredi & in hæ-
 redem dabitur. Quorsum facit & ratio, quod Donator à Donatario
 solus injuria affectus sit Erg. eidem tanquam læso vindicatio legibus
 est permessa, quam si tacuerit, condonasse censendus est. Causas autem
 revocationis quod attinet quod de jure reperiatur? & an omnes d. l. ul-
 timæ sint inclusæ? an verò plures dentur? Doctores sententiis in partes
 ire deprehendi, aliis pro hæc aliis pro illâ militantibus. Inter illos qui
 ex recentioribus plures, quàm quæ in l. ult. relatæ non dari, asserunt,
 palmam sibi vindicat Dn. Carpz. *Jurispr. Foren. p. 2 C. 12 def 31.* Ratio-
 nes ejus haud videntur leves: Fundatur enim prima in particulâ ex-
 clusivâ tantummodo quæ in ipsâ lege continetur, & omninò reliquas
 excludit. Secunda respicit regulam generalem in ipsâ naturali æ-
 quitate fundatam, quod odiosa restringenda & mitiganda non am-
 plianda, quam l. si preses 32. l. interpretatione 42. π. de pæn. aliis texti-
 bus probat, & tandem præjudicio quodam Jctorum Lips: confirmat,
 quorum autoritas sicut & aliorum Collegiorum suo nititur talo.
 His præterea Dn. Harpr. in *Comm. ad sepe d. §. 2. f. h. t. n. 157.* non inele-
 gans addit argumentum ex ipso §. desumptum: Ubi primo Imp. dicit: *ex*
certis causis revocationem esse licitam, & postea statim subjicit: *Causas*
illas in Constitutione enumeratas esse: Ergo extra illas revocatio non
 datur Huic opinioni subscribit quoque Donellus. *lib 14. c. 27.* eadem
 rationes in medium produciens. Eandem fovet Zoësius in *Com. w. ad*
b. l. n. 90. & 92. Item Dn. Strauch. *Exerc. 8. §. 29,* Hæc sententia, etsi legi-
 bus pariter atq; Autoritatibus satis videatur fulcitâ, habet tamen
 qui contra sentiunt. Inter Antiquos sunt Accursius, Cynus, Clarus
 aliiq; ; Inter recentiores locum sibi vindicant Dn. Struvius *Exerc. 40.*
thes. 15. Dn. Vinnius *ad §. 2. f. h. t. verb. Ex certis causis.* Item Hilliger
 ad Don. d. l. 14. c. 28. in fin. qui *ad legem necare 4. de agnosc. lib. notas.*
Justinianum de hujusmodi casu non cogitasse, alias credibile esset illud
non fuisse prætermisurum ubi præterea addit N. 78. c. 2. vers. nam si
nullam quo in genere dicit Imp. ex omni ingratitude Donationem

C 2

ferr



fieri irritam & simul ad anteriores leges provocat, ex quo tanquam posteriori apparet, in prioribus non ad certas tantum causas revocationem fuisse alligatam. Quam sententiam juvat id quod Dn. Richter. in tract. de signif. Adverb. ad verb. *Tantum* notat, in Nov. 115. c. 3. causas exheredationis non *tantum* contineri, sed etiam æquales & Graviore admittendas esse. Imò ratio in l. ult. C. h. t. hanc sententiam comprobatur, quando sic ait: *Ne sit cuiquam licentia & alienas res capere & frugalitatem Donatoris irridere*, quæ ratio in omni ingratitude locum habere potest. Hinc putarem esse, quòd tot Doctores & quidem major numerus in hanc partem transierint, ita ut Dn. Harpr. cit. loco ipse eandem receptam & communem dixerit. Inde Electio circa rem magni momenti est, ut ferè nesciam cui calculum addam. Prior enim fundata ex expressis textibus; Nec posterior ratione & autoritate caret. Tutissima igitur erit via media, arg. S. ult. f. qui & ex quibus caus. manum. Si, salvò tamen rectius sentientium iudicio dicam priorem de Rigore Juris, posteriorem ex æquitate defendi posse.

Thesis IX.

Lex, si unquam. C. de rev. don. specialem casum exhibet, & ideo ad supervenientiam liberorum in genere non est extendenda.

Hæc Thesis æque dubia est atq; præcedens ex parte enim liberorum militat pietas, ex parte Donatarii plena per Donationem translatio, quam non facile revocari, testis est Imp. d. S. 2. f. h. t. ut inde non ineptè dubitetur num jure factum, infectum fieri possit? Si textum l. 8. de rev. don. inspiciam, decisio facilis erit, propter expressa verba. *Totum quicquid largitum fuerat, revertatur.* Sed hic textus agit de casu, ubi Donatio à Patrono liberto facta erat, qui vel propter conditionem, quod Patrono per jura patronatus adhuc aliquò modò obstrictus esset, vel propter insigne beneficium, quo libertatem consecutus est non poterat revocationi contradicere. Verum an & Donationes, quæ in Eum, qui tali vinculo nobis obligatus non est, translatae, idem dicendum, expeditum non est. Hic enim disquirendum primo: *An Donatio ex supervenientia liberorum revocari possit.* Deinde si revocetur;

eur: *An revocatio procedat in totum an saltem ex parte?* Videndum
 igitur hâc in arduâ re, cum authoritas mea nulla sit, quid sentiant Do-
 ctiores. Dn. Hahn. in Comm. ad Wesenb. putat extra casum etiam Speci-
 alem, *d.l. 8. vires habere*, placet ejus verba & rationes iterato tradere:
Vera inquit, est sententia quod beneficium L. 8. C. de revoc. don. non modo
in liberto obtineat, sed & in quavis extraneo; quia ratio, quare patro-
nus propter liberos post Donationem factam liberto, est, quam quod verisi-
mile non sit, illum extraneo donatorum fecisse, si de propriis liberis cogi-
tasset. arg l. 102. de Condit. & demonst. l. 6. §. cum autem C. de instit. &
subst. l. 30. C. de fideicommiss. quibus præterea præjudicium facultatis Ju-
rid. Helmstat. addit. In hujus Castra transit Dn. Carpz. qui simul rationi-
bus antea in pr. h. t. à me adductis satisfacere laborat vid. part. 2. C. 12.
d. 32. Idem sentit Zoef h. t. n. 106 & 107. & Gail: Observ. pract. l. 2. c. 40. n.
ult in tantum ut ne quidem pater, neq; cum juramento revocationi
renunciare possit, circa quam opinionem tamen ab ipso Zoef. d. l. n. 108.
& seq. castigatur. Hanc ipsam acriter propugnant & fusè deducit
Dn. Struvius dict. Exerc. 40. th. 14. per tot. fundamenti loco adducens,
quod si exemplo saltem patroni obtineret d. l. 8. Ratio debuisset posita
esse in reverentiâ atq; debito, quibus astringuntur liberti patrono e-
jusq; liberis, & sic idem obtineret in libris patroni tam existentibus
quam futuris, quod tamen non admittendum; Ergo quærenda erit a-
lia, & quidem in voluntate Donantis ex defectu liberorum, quâ ces-
sante cessat & ipse effectus vid. plur. all. thes. 14. Deniq; hâc vice asse-
rentium agmen claudat Dn. Harpr. ad d. §. 2. §. h. t. n. 179. & 180. His omni-
bus productis non veretur contradicere Dn. Vinnius tam in Comment.
ad Inst. d. §. 2. quàm in tractatu quem inscripsit: Select. quæst. lib. 2. c. 32.
ubi de hâc quæstione pro & contra disputat & tandem in puncto juris
negativam veriore dicit, vid pag. 464. in princ. fere. Ratio ejus fun-
damentalis videtur esse, quod Imperatores Constantinus & Constan-
tius ad præfectam rescripserint, proprio motu & sic ad modum Edicti
perpetui, quod si ad alios quoq; casus directum voluissent, de parenti-
bus in genere mentionem fecissent, quam tamen in textu ad Patronum
saltem restringunt. Deinde rationes loco ponit, quod multa circa
libertum sint disposita, quæ respectu alterius cessant, utpotè qui pa-
tronum ejusq; liberos aliâs alere tenetur. l. 5. §. 19. & 20. de agnoscend. &
alend. lib. inde colligit quod hæc & similia in favorem patroni ejusq;
 libero-

liberorum constituta, ad alios non sint extendenda. p. 465. arg. l. 64. §. penult. solut. matr. §. l. 21. w. de Milit. test. Reliqua ejus utpote quodam modo proluxa nimis brevitatis amore omitto, quibus sc. supra est Dd. adductis argumentis satisfacere conatur. Celebris olim JCrus Cujacius fingendo l. 1. C. de revoc. don. peculiarem casum rem ad priorem sententiam quæ plurimum est reducere laborat, cujus sententiam suo loco relinquo. vid. Recit. ejus solennes ad tit. Cod. de Revoc. don. pag. mib. 232. lit. C. colum 1. In hac igitur varietate adeo difficilis est decisio, ita, ut quo me vertam vix sciam, Plausibilis est prior, simulq; liberorum favore nititur, rationabilis vero posterior, & magis textui congruens. Hanc præterea dubietatem non leviter auget l. 5. C. de in officios. donat. ubi Glossa hunc format casum: *Si in filios quos emancipatos habebas, credens te plures filios non habiturum, totum tuum patrimonium contulisti & postea uxorem duxisti & filios suscepisti; Queritur an ex Donationibus factis detrahi possit, quarta, ut eam filii, qui nihil habere inveniuntur, consequi possint?* Dicitur quod sic. Quæ casuatio nec à textu est aliena, sed eidem accurate respondet. Ex quo apparet, quod supervenientes & post donationem nati liberi revocationi locum faciunt, & sic per hanc legem probatur opinio asserentium, Ast simul cum lege nova oritur hæc ipso contrarietas, quæ revocationem non ex parte i. e. ad liberorum legitimam, sed in totum sicut expressa verba docent: *Totum quicquid largitus fuerat, è contra lex d. 5. jde inofficis; donat, ex parte saltem revocare permittit, pr. verb. Debitum honorum subsidium: & arg. l. 1. §. 2. eod.* Ita ut vix prior illa opinio inde obtinere possit. Quantum ingenii imbecillitas permittit putarem ego ex hoc textu legisse. Nam si illam opinionem, quod pater, ad exemplum patroni in d. l. 8. propter supervenientes liberos Donationem revocare posset, tota certe Donatio, non pars revocanda esse, & sic falsum erit id quod in d. l. 5. dicitur de parte, quam hæc revocare concedit, ne liberi aliquando quærelam inofficiosæ donationis movere debeant. *argum. eor. quæ in fin. d. l. habetur.* Hæc ergo ratione & dicto textu mortali in sententiam Dni Vinnii eatenus transeunt, quatenus id, quod in l. 8. de patrono dicitur ad patrem per omnia non potest porrigi *per omnia*, & sic speciale privilegium patrono concessum arbitrantur. Quatenus v. id in totum parentibus denegat, recedit ab illo, non propter l. 8. sed propter l. 5. cujus ratio quod liberi aliàs post patris obitum donationem

ad hanc partem usq; essent, revocaturi. Ego potius calculum addere eisdem non dubitaverim, qui donationem totam exemplo *l. s. C. d. l. re-* vocandam censent: Sicuti *l. s. C. de inoff. don.* loqui existimaverim, de singulari casu se. Donatio filio emancipato facta fuit, in quo merito singulariter responsum fuit ob affectum filialem, ad quem alias proclivis & ex J. N. ferè debita translatio bonorum censetur. *vid. text. l. s. C. l. 1. C. 2. de inoffic. don.* Imò, si dicti Impp. Patrono non speciale privilegium concessuri fuissent, legem sancire non debuissent, quia liberis post donationem natis satis per legem quintam & totum titulum de in offic. donat. prospectum erat. Rationibus in contrarium adductis satisfacere, meorum partium non est, ne videar partes refutantis sententiarum tantorum virorum subire, quod officium iis qui majori autoritate pollent relinquo. Ex his igitur facilis erit responsio ad propositam questionem secundam, nempe revocationem donationis propter liberos esse saltem particularem.

Thesis X.

Donatori ad revocandam donationem regulariter conceditur Condictio, aliquando tamen etiam ex singulari favore etiam utilis vindicatio.

Constat ex hactenus dictis, quibus ex causis donatio revocatur, nunc paucis colophonis loco me expediam circa remedium vel actionem quâ mediante donatio revocatur. Dixi illud esse ordinarium Conditionem, extra ordinarium, utilem rei vindicationem. Non curo hic Doctorum opiniones, utpote quas & circa hanc rem varias esse, me non fugit; sed adducam fundamenti loco. *l. 1. C. de Donat. quæ sub mod.* ad quem textum hunc fingo casum. Titius, avus, Donaverat Nepti suæ Sempronix mille thaleros, ut præstaret sibi alimenta. Neptis donatum sub hac conditione quidem recipit, sed alimenta præstare recusat. Titium Donationem revocare posse nullus dubito, sed quâ actione, ambiguum est respondet text: *Vindicationem etiam hoc casu utilem eo quo legi illa obtemperare noluerit, impetrare potes, id est, actionem, qua pristinum Dominium tibi restituatur. Nam non solum condictio quidem tibi in hoc casu, i. e. in personam actio jure procedit,*

verum

3579.
verum etiã vindicationẽ quoq; divi principes hoc casu dandam esse san-
xerunt. Ubi ex verbis hoc casu, quæ tertia vice repetita sunt, colligere
possum hoc casu favore alimentorum peculiare quid constitutum esse,
qui cum in aliis donationibus cesset, effectus quoque ejus cessabit,
quod præterea confirmant verba non solum, quibus expressè innuunt
authores hujus textûs in aliis revocationibus conditionem solum lo-
cum habere. Denique, hoc ipsum apparet, si alias revocationis cau-
sas respiciamus, utpote quæ saltem commissum quid in Donantem
presupponunt, quod præter obligationem personalem quicquam in-
ferre non potest. Et sic rectè in thesi me dixisse puto regulariter
conditionem, extra ordinem verò demum in casu speciali vindica-
tionem utilem ad revocandam donationem concedi. Hæc sunt quæ
tibi Amice Lector juxta ingenii facultates de Donatione in Genere
scribere volui, te obnixè rogitans, ut minus accuratè dicta secundum
tuam benevolentiam optimam in partem interpre-
tari velis.

Soli Deo Gloria.




Wittenberg, Diss., 1674-75

X 241 8708

VD 17





57.

1675 1172
6 47

THESES JURIDICÆ
De
DONATIONE
IN GENERE,

28
(3)

Quas
Secundante ex alto Numine
Consensu Magnifici ac Nobilissimi Jctorum
Ordinis in Almâ Lencoreâ,
PRÆSIDE
VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMO AC CONSULTISSIMO
DN. JOH. CAROLO NÆVIO,
J. U. D. & Curia Provincialis, quæ hîc est,
Protonot.

Ad veritatis equilibrium appendere
periclitabitur
JOHANNES WILHELMUS HAINERUS,
Winterh. Franc.
A. & R.

IN AUDITORIO JCTORUM,
Die VIII Decembr. Anno Gratia M DC LXXV.

WITTEBERGÆ,
Typis JOHANNIS SIGISMUNDI Ziegenbeins.

